# D. O. M.

# QVÆSTIO MEDICA.

## PVBLICIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA.

### IN SCHOLIS MEDICORVM. DIE IOVIS XXVII. SEPTEMBRIS HORA OCTAVA MATVTINA.

### MAGISTRO PETRO IAMET Doct. Med. Moderatore.

20

*An Sanguinis Transfusio salubris.*

HOMO, qui vera est ἀπομίμησις τοῦ ὅλου, universam, quis credat? habet intra se Affricam: ex illius miserando corpore, quotidiè novi, monstrosique aliquid affertur. Nuper audiebatur inauditum grassari dysenteriæ genus, hodie τρομακάνη, seu scorbutus qui latebat ἐνδήμιος in Septentrionalibus, nunc ab aquilone se diffundens fit ἐπιδήμιος, nostrásque temperatas regiones incipit infestare. Cras forsan orietur species febris nothæ nota nemini, de quâ ne verbulum ab antiquis: ita ut qui non nisi eorum perspicilio vident, nilque putant in doctrinâ sanum, nisi sit senum, ex eorumdem pomæriis super hac re, fungos tantummodo vetustos collexisse videantur. Meo judicio sapientiùs ab iis ageretur, si rationem cum experientiâ sequerentur antiquissimam & meo iudicio magis politicè, si pro novis debellandis monstris, novas interdum machinas adhiberent. Nos ideò quoniam variant morbi, variabimus artes.

SED prius, quinam illi monstrosi fœtus? unde & quânam tempestate sic prosiliunt? tanquam ex pyxide Pandoræ veniunt omnes è venis, parentes suos agnoscunt πληθώραν vel κακοχυμίαν, eduntur in lucem, dum interpellato calore nativo regnat æstus ascititius, tunc enim purum cum impuro concumbens generat id quod animali noxium est, sanguinem videlicet calidiorem vel frigidiorem, tenuiorem vel crassiorem, nitidiorem vel turbulentiorem. Infœlix homo? quis liberabit eum demonstris corporis eius? quis illos abortiuos, & ex illegitimo concubitu natos prohibebit? rem totam fortè præstabit legitimum Matrimonium, consulamus naturam opt. in omnibus matrem & magistram, quid in fœtu materno gerat ipsa, suos dum filiolos nutrire, fovere, atque conservare intendit? heu, delicatuli, sanguinem sugunt alienum ἐκ τῶν μηθρέων τῆς μήτρος, naturáque ipsa ipsis transvasat liquorem è venis ad venas, unius in alterum animantis.

NONNE similiter saltem ut aufferatur intemperies idem operari licebit? pro valetudinario sanum, pro crudo coctum, pro impudico pudicum elutriare. Iam in ægrotante videre mihi videor totam tumultuantem Pharsaliam, hypochondria ob murmurant, vasa distenduntur, tumescunt, æstuant, humidum nativum absumitur, partésque siccitate dehiscunt. Disce, amice, mox ei succurrere, disce saltem æquè bene sapere, ac ij qui in culinâ habitant, nôrunt enim ipsi parco, necnon exiguo aquæ jactu bullientem aquam citò confutare, sic vitulini sanguinis transmissione totam effervescentiam non te pudeat extinguere. Si vero congelatio, putredo, viriúmque exolutio miserabile corpus obsideant, disce ex œnopolis quibus concessum est vinum generosius debiliori, Andegavense Parisiensi, refinato Falernum admiscere. Sic iunge simul utrúmque sanguinem, totámque dyscratiam celeriter immutabis, defæcabis, & depurabis. αἷμα γὰρ ἀλλότριον ὠφέλιμον innocuúmq; facit aut nocuum peritia aut imperitia medentium ut divinus senex insinuat in Epilept.

SIC non propter fervorem accendetur phlegmone, non bilis in Erysipelas ebulliet, non melancholia condensabitur in scyrrhum, non pituita putrescet in œdema; non etiam serum in hydropem exsurget, nec diffundetur in rheumatismum, nec massa denique sanguinea concrescet in pleuritidem. At, inquies, pro amphorâ urceus, pro homine vitulus; ne timeas nisi iam audias bestia, metamorphoseωn ætates abiere, dij soli formas mutârunt & illas, nec amplius fabulosa circes pocula vigent, fias ἰχθυοφάγος aut σαρκοφάγος, non eò citius petes aquas, aut latibula ferarum; quid, quid agas simia si fueris simia semper eris, sed magis sana, si pro mastiche myrobalanis &c. nostrum hoc usurpes aposema. E nosocomeo quodam non ita dudum juvenis languens & exanguis exibat, & interibat vicies φλεβοτομηθείς. Post celebratam semel hancce διάχυσιν (ut audivistis omnes & multi vidistis) ad suum nativum robur citò reversus est. Alter, ut scitis, mente & corpore male se habebat, (quia docet Aristoteles ex attenuato & refrigerante sanguine fieri animal sapientius) post transfusum ambrosium húncce succum diu mentem sanam servavit in corpore sano, nec (sicut olim Themistocles) epoto sanguine taurino, mortuus est.

REVERA cum nihil sonet sanitas quam sanguinis statum, quid commodius ad eundem restituendum quam ex animali, gulæ ebrietati non serviente laudabilem humorem transfundere? quid operis & in hac re periculi, leviter tutò & iucundè, ut solet, ad apertâ venâ, valvulæ statim patescunt, anastomωses continuò sunt paratæ, cor veluti princeps illum liquorem per canales circulatorios transvehendum velut ad se subsidium exspectat & excipit suis in ventriculis tanquam in basilicâ, eundémque mixtum fovet, retinétque eos ambos tantisper moræ, mores ut induant principis, hoc est ut dum ambo concursuri sunt per omnes microcosmi regiones, partium nutriendarum typo, & figuræ magis ac magis accommodentur. Vno verbo liquor cum liquore chylus cum chylo, coctus cum cocto, sanguis cum sanguine, pares cum paribus sic legitimè congregati naturâ consentiente, non Hippocrate repugnante, suadente ratione, pluribus iam experimentis testibus unâ celebrant hymenæum ex quo εὔκρατα fortissima virginum ad monstrosos corporis humani fœtus exturbandos ubique nascetur.

*Ergo Sanguinis Transfusio salubris.*

## DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Anna Ioussélin.*
*M. Guillelmus Ferrand.*
*M. Iulianus Boissineust.*
*M. Michaël Nepveu.*
*M. Michaël Maussion.*
*M. Iacobus Baillif.*
*M. Renatus Le Tourneux.*
*M. Petrus Hunault.*




Proponebat Andegavi IOANNES NOEL DV TERTRE Cenomanus. A. R. S. H. M. DC. LXVIII.

ANDEGAVI, Apud IOAN. LE BOVLLENGER, Typographum.